



12007

V 00th

alt. Nr. 209.

Fürstenf. n. 3 andere Schriften

P. VIII. 109.



29

DISPUTATIONUM THEOLOGICALI-
CARUM DE PRÆCIPUIS FIDEI
CHRISTIANÆ ARTICULIS,
VII.
De
CHRISTI SALVATORIS
NOSTRI, PERSONA.

Quam
S. S. Trinitatis Auxilio
SUB PRÆSIDIO
VVOLFGANGI FRANZII,
S. S. Theologiæ Doctoris & Profels.
in illustri VVittebergâ publici,
Collegis examinandam proponit
M. IOANNES MULLERUS,
Auffhausanus, Suevus.

In Templo arcis
Ad diem 20. Novemb. horis
consuetis.

WITTEBERGÆ
Excusa Typis JOH. GORMANI, Anno 1611.

NOBILITATE GENERIS, AMPLI-
tudine atq; Prudentia, Præstantissimis Viris, lau-
datissima Reipubl. Ulmensis, A Edilibus, Scholarchis, ac Se-
natoribus spectatissimis atq; dignissimis,

Dn. JOANN. EHINGERO à &
in Baltzheim.

Dn. JOANN. SCHERMEIERO

Dn. JOANN: HEINRICO GIENGERO.

Patronis, Fautoribus ac Promotoribus suis
omni honoris genere prosequendis.

Et

Nobilissimo, Prudentissimo & Præstantissi-
mo Viro,

CHRISTOPHORO SCHERMEIERO, Reipub.
Ulmensis Senatori spectatissimo.

Item

Præstantissimo, & literatissimo Viro,

Dn. MATTHIAE KUCHELIO, Civi Ulmensi E-
minentissimo, Fautoribus meis singularibus per-
petuo observantiæ cultu, suscipiendis

ἐπιζήτησιν ταύτην Theologicam in debite obser-
vantia τεκμηρίων

Studiorum meorum σημείων

& mei ἐπιπέσεων.

Qua possum animi submissione offero, &
inscribo, quia Autor & Respondens

M. Joann Mullerus Auffhauso-
suevus.

DE PERSONA CHRISTI.

Thesis I.

Aggressuri præcipuum & primarium fidei Christianæ Articulum, de Persona Salvatoris nostri Jesu Christi, in quo Salus & omnis spes Christianorum fidelium est posita, quo nullus major, excellentior, & sublimior in cœlis & terris reperitur:

De quo verum illud Apostolicum, quod non saltem mysterium: sed μέγα μυστήριον & ὁμολογούμενος, quod Deus manifestatus est in carne (a) maxima diligentia est opus, ut cogitationes & meditationes nostræ lucernam in Dei verbo præluentem in conspectu habeant; quæ non fallit, est quippè veritas (b) quod ipsa hujus articuli sublimitas maximè exigit & requirit (a) 1. Timot. 3. 16. (b) 2. Pet. 1, 19. (c) Johan. 17.

Hujus articuli sublimitas.

II. Procurat autem Deus salutem nostram. 1. Quando filium suum unigenitum misit in hunc mundum, ut totum genus humanum in peccatis perditum, redimeret: 2. certis mediatis actionibus.

III. Complectitur Missio filij Dei totum Redemptionis nostræ opus & officium Christi, quod ut ritè intelligamus, vocabuli Christi rationem & Etymologiam considerabimus. 2. ad rem ipsam progrediemur.

Binomina accepit Christus Messias.

IV. Binomina accepit Christus, tanquam nomen proprium & cognomen, officia & beneficia Redemptoris nostri proponentia.

V. Nomen proprium quod attinet in ἰησὺς originè suam trahit ab Hebræo ἰησὺς; salus unde ἰησὺς. Josepho ab Angelo in somno indicatum. Vocabis nomen ejus JESUM? quia saluum faciet populum suum à peccatis. Matth. 1, 21. ἰησὺς.

VI. Cogno-

VI. Cognomen quoad vocatur Christus, & græcum est, correspondens Hebræo מָשִׁיחַ Messias, id est, unctus. Quemadmodum enim in V. T. Reges & Sacerdotes in officij sui inauguratione ungebantur & ipsi quoque Christi, hoc est, uncti domini appellabantur: Sic Christus Sacerdos & Rex verissimus per Reges ac Sacerdotes V. T. adumbratus, non externo quidem: sed lætiræ oleo ex Spiritu S. & plenitudine divinitatis est unctus *Exod. 28 41, Levit. 4, 16. 1. Sam. 10, 1. c. 16, 13. Psal. 45, 7. Esa. 11, 1. Col. 2, 9.*

Secundum humanam naturam Christus est unctus.

VII. Cum verò Christus sit Gigas geminæ substantiæ, (uti Patres sunt locuti) natura constet divina & humana, unctio hæc non secundum illam, quippe quæ ungi non potuit. Ipsa namq; ungere hominem oleo Deitatis suæ, rectè dicitur: sed juxta hanc à patre suo coelesti ipsi obrigit ad eò ut Spiritum S. non ad mensuram ei dederit Pater, & quidem præ consortibus suis, hoc est, sanctis omnibus æternæ vitæ cohæredibus, quia fons est & origo unctionis, ex quo derivatur in cæteros ista unctio spiritualis. *Esa. 61, 1. Psal. 45, 8.*

Christi Descriptio.

IX. Ex nominis hac notatione talis oritur Christi descriptio quod sit: *Secunda Persona divinitatis, filius nempe Dei, Deus ex substantia Patris, ante secula genitus; & homo ex substantia Matris in secula natus. Symb. Athan. F. C. p. 4.*

Doctrina de Christo diviso.
1. De Persona.

X. Doctrina de salvatore Christo, in duas partes quam commodè potest distribui, quarum prior de Christi Persona, posterior de ipsius officio agit.

Persona constat duabus naturis.

X. Ad cognitionem Personæ Christi tria requiruntur. 1. hypostatica duarum naturarum unio. 2. Communicatio Idiomatum. 3. Statuum carnis Christi diversitas.

Divina sumitur

XI. Personam quod spectat illa duabus constat naturis, divina sc. & humana. Illa, bifariam sacris in literis sumitur. 1. absolute, & hoc modo tribus sacrosanctæ Trinitatis Personis communis est. 2. respectivè & singulariter pro Persona τῆς λέγῃς vel filij ipsius Dei.

XII. Hic



XII. Hic non priorem : hac ratione enim sequeretur ^{modo posteriore} totum Trinitatem incarnatam esse: sed posteriorem mo- ^{do accipitur.} dum; & quidem singulariter intelligo *divinam Personam* verbi, seu ipsum filium Dei. Solus enim filius Dei, non Pa- ter aut Spiritus S. hominem assumpsit, juxta illud Evan- gelistæ *Ioan. 1, 1. Gal. 4, 4. Rom. 8, 3.*

XIII. *Humana Christi natura est vera hominis singularis* ^{Humana} *substantia, anima rationali & corpore organico constans.* Ve- ram enim & perfectissimam totam ex Maria virgine sub- stantiam, filius Dei in suæ personæ unitatem assumpsit: re- licta tamen Personalitate. Nunquam enim *extra unio- nem* fuit vel erit singularis se ipsa existens Persona. Non enim Personam Persona assumpsit.

XIV. Et has duas naturas in Christo convenire oportebat. Etsi enim *λόγος*, ab æterno quippe perfectissimus ^{Cui Christum oportuerit esse Hominem.} incarnatione illa non indigebat: tamen quia homo pec- caverat peccatis suis Deum alienum sibi fecerat & morti æternæ sese addixerat: filius Dei homo fieri voluit, ut morte sua è faucibus Diaboli nos eriperet, bona deperdit a recuperaret; & patre cum suo reconciliaret: quod Deo in sua natura præstare, non competebat. Est enim Spiritus carnem & ossa non habens *Esa. 59, 1. Ioan. 4, 24. Luc. 24, 1. Timoth. 1, 17.*

XV. Mortem verò, nec solus Deus sentire, nec solus ho- ^{mo} superare potuisset; (a) Christum oportuit esse Deum, quia Salvatoris morte infinitum erat persolvendum *λό- γος*, de peccato, diabolo & inferno triumphandum, Spi- ritus S. & vita æterna recuperanda. (a) *August. Serm. 176.*

XVI. Duæ ergo distinctæ in Christo reperiuntur naturæ: Divina, quæ ab æterno est: & humana, quæ in tempore assumpta est, in unitatem Personæ filij Dei. Et hæ duæ na- turæ, nunquã vel separantur, vel confunduntur: sed utra- que in sua natura & essentia in omnem æternitatem per- manet.

A 3

XVII

Christum esse
verum Deum.

I. d. Nominibus

1.

1.

2.

3.

XVII. Quod ergo Christus verus sit naturalis Deus probamus *1. Nominibus soli Deo competentibus.* I. Ipsi in sacris tribuitur Essentiale Dei nomen & vocatur Jehovah *Ier. 23, 6. Exod 3, 15. Esa. 42, 8. Esa. 6, 1.* 2. nominatur filius Dei vivi, non ex gratia sed natura, quia ex eius essentia unicus & solus genitus est, ad quem dicit Jehovah, filius meus est tu &c. *Matth. 16. Psal. 2, 7.*

XVIII. 3. Expressè nominatur Deus, cum in N. tum V. T. In illo dicitur Deus fortis; Deus ipse veniet & salvabit nos; & tunc aperientur oculi cæcorum; quem locum ad se refert Christus. *Esa. 9, v. 6. c. 35, 5. Matth. 11, 5.* In hoc; In principio erat Verbum & Verbum erat apud Deum, & Deus erat Verbum, Deus acquisivit Ecclesiam sanguine suo; Christus est Deus benedictus in secula. Thomas Christo dicit: Dominus meus, & Deus meus. *Iohan. 1, 1. Act. 20, 28. Rom. 9, 5. Iohan. 20.*

II. Atributis
divinis.

I. Ab æternitate.

XIX. II. Demonstramus *cum attributis divinis, tum operibus Dei.* I. Atributis, 1. eius æternitate. I. Vocatur æternitatis Pater. 2. ab æterno genitus est à Patre, hodie genuit cum Pater, quod cum in Deum non cadat tempus, sequitur, quod sit illud hodiè æternum. 3. quia habuit gloriam apud Patrem, antequam hic mundus esset, quia primus est & novissimus. *Esa. 9, 6. Psal. 2, 7. Iohan 17, 24. Esa. 44, 6.*

3. Adorationis
cultu

XX. 2. Adorationis cultu unde sic colligo. Quemcunque adorationis cultu prosequimur, ille necessum est, ut sit Deus. At Christum adoramus. E. Major sua luce lucet ex *Deut. 6, 13. Matth. 4, 10.* Minor rursus luculenter patet.

1.

2.

I. quia omnes honorare debent filium sicut patrem (a) 2. Adoratur à cæco, leproso, Stephano, omnes Angeli adorant eum (a) *Iohan. 5, 23. Iohan, 9, 39. Matth. 8, & 15. Act. 7, 59. Psal. 97, 7. 5, 8, 14.*

III Operibus
divinis.

1.

2.

XXI. Operibus confirmo. I. opere Creationis quia omnia per ipsum facta sunt (a) 2. opere Redemptionis. Sic colligo.

In

In quo omnes benedicendæ sunt terræ gentes, is est ve-
rus Deus. At Christus est talis, in quo benedicendæ sunt
omnes gentes. E. (b) 3. opere conservationis. Omnia e-
nim portat verbo potentæ suæ. (c) 4. Miraculis soli Deo
competentibus. 5. Largitione Spiritus S. (d) 6. Universa-
li Judicio extremo. (e). (a) Iohan. 1, 1. (b) Gen. 22, 18. (c)
Heb. 1, 3. (d) Luc. 7. (e) Ioan. 15. (f) Ioan. 5, 22.

3.
4.
5.
6.

XXII. Stante nunc Christi divinâ naturâ necessitas ef-
flagitat, ut ipsius etiam *naturam humanam demus probatam*.
Quod præstare possumus sequentibus, 1. *generatim*, quia
homo expressè appellatur, & proprietates homini com-
petentes in ipso reperire licet. 2. quia manifestè in sacris
animâ ipsum præditum esse asseritur.

XXIII. De Christi humanitate loquuntur dicta sequen-
tia. Gen. 3. Esa. 7, 14. Gal. 4, 4. Iohan. 1, 1, 1. Timoth. 3, 16. 2. Tim. ^{verum esse ho-}
2, 8. Hebr. 14. 1. Timoth. 2, 5. 2. totus populus Judaicus & ^{minem.}
discipuli pariter omnes, seculo isto qui vixerunt, testati
sunt uno ore Christum verum hominem fuisse. Iohan. 9.
24. 26.

1.
2.
3.

XXIV. *Testantur hoc operationes ejus*. 1. quod esuriebat,
sitiebat, comedebat, bibebat, dormiebat. 2. Videbat,
audiebat, gustabat, olfaciebat, tangebatur. 3. *rationabatur*,
disputabat, cum hominibus loquebatur. Luc. 2. 46.

XXV. *Secundò quod non carnem tantum; sed etiam ani-*
am rationalem & intellectualem assumserit, pater. 1. ^{II. de animâ}
quia homo sapiens in sacris appellatur. 2. salutis nostræ
opus requirebat illud; Animâ enim sordibus peccati pol-
lutam, quæ hominidat esse ac sic totum hominem libe-
rare debuit, necessum ergo fuit, ut anima fuerit præditus.
τὸ δὲ ἀπεόσλητον ἀβεγάρευτον, quod non assumtum est,
curatum non est, dixit Nazianz. Epist. 2 ad Cledon. To-
tus homo erat lapsus. E. totum hominem Christum assu-
mere oportuit.

1.
2.

3.

XXVI. Sæ

XXVI, Sæpissimè & evidentissimè anima sacris in paginis ipsi attribuitur. 1. A se ipso, animam meam pono pro ovis (a) Tristis est anima mea usq; ad mortem (b). 2. ab Evangelista *Matt. 27, 50. (a) Iohan 10, 15. Matt. 26, 28. Luc. 23, 46.*

Peccatum λόγος non assumpsit.

XXVII, Licet autem λόγος cum natura humana, omnes infirmitates reliquas ad tempus receperit: peccato tantum contaminatus nunquam fuit. Infirmitates illæ vocantur naturales & irreprehensibiles passiones, quæ citra peccatum homini insunt: ut lassitudo, (a) fames (b) (c) tristitia, (d) fuga doloris, item reliquæ imbecillitates mortalitatis &c. quæ tanquam pœna peccati, totam substantiam consequuntur. (a) *Mar. 4, 38. (b) Matth. 4, 2. (c) Luc. 10, 21. (d) Matt. 26, 37. Ioan. 12, 27.* Satis de duabus naturis in Christo, nunc de hypostatica earundem unione.

Modus unionis non est naturalis.

XXIX *Modum unionis istius quod attinet est ille.* 1. non naturalis sive essentialis, ut materia & forma uniuntur, ut essentiam unam constituent & absolvant: seq; mutuò ita perficiant, ut neutrum sine altero perfectionem suam retineat. hoc modo naturæ in Christo non sunt unitæ. 1. quia Christus est Deus perfectus & homo perfectus. 2. filius Dei etiam antè incarnationem existebat.

II.

XXIX. 2. *Non est accidentalis.* 1. non continuitatis quemadmodum asser asseri agglutinatur. 2. non subjectivè, ut paries & albedo sunt unum subiecto. 3. *nec est integralis.* Si quidem tantum reperitur inter partes quantitativas, quemadmodum manus & pes. λόγος verò non est quantus, nec partem habet extra partem.

XXX 4 *Non est hæc unio tantum voluntatis & dilectionis,* sicut vir & Mulier, propter dilectionis consensum, una caro dicuntur. 5. nec est unio operationum quasi carnis operationes adsumptæ, solū essent organica, ut caro nudum

nudum instrumentum fuerit per quam λόγος operaretur; Hoc modo etiam sancti cum Deo uniuntur, quia sunt instrumenta per quæ Deus agit. Rom. 15. v. 18. 1. Cor. 12, 6. XXXI. 6. Non etiam sacramentalis, quia signum & signatum in Sacramento uniuntur separabiliter, quippe cum extra usum desinat unio. At unio naturarum duarum nunquam separatur: sed est omnino μονότης και ἐξάρησις, ὑπερ φύσιν, ὑπερ γέν, και ὑπερ πᾶσαν κατάληψιν, uti Iustus loquitur. Ideo usitatè personalis & realis dicitur, & est planè mysterium, ubi ex duabus naturis, una facta est Persona.

VI.

Sed est Personalis et realis.

XXXII. Definitur ergò unio Personalis, quod sit S. S. Trinitatis operatio (a) qua λόγος aeterni Patris, aeternus Filius, in seipso immutabiliter permanens, naturam humanam veram & integram nobis per omnia (excepto peccato) ὁμοῦσιον in plenitudine temporis in suæ Personæ unitatem (b) ἀσυγχύτως, ἀτρέπτως, ἀδιάρετως και ἀχωρίτως (c) in confusè, inconvertibiliter, inseparabiliter & indistanter, assumpt: seq; totum & realiter ei communicavit, ita ut verbi hypostasis, communis carnis facta sit hypostasis salvis utriusque naturæ proprietatibus unum ὑφιστάμενον hæ duæ naturæ constituent, adeo ut non solus & seorsim λόγος: sed totus Christus juxta utramque naturam opus redemptionis perfecit & jam in coelo & in terra omnia præsentissimè agat & operetur (a) Luc. 1, 35. (b) Gal. 4, 4. (c) Concil. Calcedon. Excellent. Theol. Hutterus in Coll. Theol. pag. 342. XXXIII. Complacuit autem S. S. Trinitati, ut caro Christi conciperetur, non ex Maris & fæminæ conjunctione. Hac enim ratione conceptio fuisset immunda (a) sed ex sola virgine intacta & casta, absq; auxilio viri, Spiritus S. adumbratione, qui sanguinem Mariæ purificavit & sanctificavit. Psal. 51. Luc. 1.

Quid unio Personalis?

B

34. Non

XXXIV. Non tamen absurdè inde colligendum erit Spiritum S. Christi secundum humanam naturam, esse Patrem. Dicitur conceptus à Spiritu S. *effectivè*, de virgine verò Maria *materialiter* inquit August. hoc est, non ex substantia Spiritus S. est conceptus; sed efficacia & adumbratione eius *Luc. 1, 35.*

Due in Christo sunt nature sed unus est Christus.

XXXV. Etsi verò hæ duæ in Christo naturæ, divina nempe ab æterno & humana in tempore ex Mariæ virginis substantia assumpta in filij Dei unitatem, distinctæ sint & perpetuò mancant: scriptura tamen divinitus inspirata, non duos Christos aut dominos, sed unum dominum Jesum Christum Deum & hominem in una persona, duabus naturis constantem, expressè asserit. *Ier. 23. Iohan. 8, 48. Iohan. 1. 1. Rom 9, 5. 1. Tim. 3, 16, 1. Ioan. 5, 20. Gen. 3, 15. Matt. 1, 1. Ioan. 10, 15. Matt. 26, 28.*

Unio hæc est facta.

XXXVI. Unitæ autem sunt istæ duæ naturæ *1. ἀσυχύτως* absq; mixtione. Non enim unum sunt mixtione, ut tertia quædam essentia ex illis sequatur, sicut ex mixtione aquæ & mellis, fit mulsum, quod nec aquæ nec mellis nomen obtinet.

1.

XXXVII. Facta est hæc unio *ἀτρέπτως* inconvertibiliter. Licet enim Jesus Christus Deus sit & homo: nō duo tamen; sed unus est Christus, unus autem non conversione divinitatis in carnem, sed assumptione humanitatis in Deum. *3. ἀἀγγέτως* absq; separatione. Non n. filius Dei humanā naturā assumpt, sicut Angeli interdum humana forma (quam ad tempus assumerant,) apparuerunt, & peracto suo negotio deposuerunt: Ita filius Dei apparuit; sed carnē assumptā propriā sibi fecit, & quam semel assūsit, deserit nūquam.

3.

4. facta est illa unio *ἀχωρίτως* indistincte. Nullis enim neq; temporū neq; locorum intervallis, istæ duæ naturæ sepeantur, adeo, ut nec in morte facta sit unionis dissolutio.

4.

olutio. *Hassenref. lib 3 stat 3. de Christo (a) Concil. Calcedon.* *Communicatio*
XXXIIX. Ex hac unione hypostatica duarum Christi na- *naturarum da-*
turarum arctissima, sequitur *nunc communicationis natura,* *tur.*
cum dictū sit, *ἐνωσις* sine *κοινωνία* factam non esse. Quæcunq;
enim ad unum aliquod ὕψιστον copulatione arctissima
& inseparabili personaliter unita sunt, ita ut unum de al-
tero verè & realiter possit prædicari, illa invicem realiter
communicare certum est. At duæ in Christo naturæ di-
vina & humana personaliter sic sunt unitæ. E.

XXXIX. Major patet. 1. quia istæ duæ naturæ non sunt con-
junctæ sicut duo asseres cōglutinati sunt qui mutua com-
municatione nihil prorsus participant. Hic enim est infi-
mus conjunctionis gradus. 2. quia divina natura, huma-
nā non sustentat & gestat tātū, nè in nihilum redigatur. 3.
Quia non tantūm implet filius Dei aut inhabitat natu-
ram humanam, tali enim modō etiam habitat in sanctis.
Sed est in ipsa unione Personalis, ipsarum naturarum, ar-
cana & ineffabilis communicatio, sine qua naturarum
communicatione nec ipsa Personalis unio cogitari vel
subsistere potest.

XL. *Communicatio duplex est.* Una vocatur *κατὰ μέθεξιν,* *κοινωνία* est
participatio generalis: quā unum alterius definitione & *duplex.*
essentia participatur, quam hic removemus. Altera est *κα-*
τὰ συνδιασιν ἢ κατ' ἐνωσιν secundum consociationem duarum
diversarum naturarum & in specie *κοινωνία* nominatur &
hæc est *vel Verbalis vel Realis.*

XLI. *Verbalis est,* quando proprium partis per Synech- *Alia Divisio.*
dochen juxta nudum nomen toti attribuitur, ob illam *1.*
partem, ut cum Aethiops ob cutem prædicatione extrin-
seca, nominatur niger. Hac nuda prædicatione in arti-
culo de Persona Christi, Calviniani uti consueverunt,
quando Christum passum, mortuum esse dicunt, respici-
entes nudum tantūm ejus humanitatem, quod impium.

B 2

XLII. Re-

II. Realis non est.

1.

2.

3.

XLII. 2. Realis est non naturalis proprietatum unius subjecti in alterum effusio. 2. Nec pro causatione aliqua sumitur, qua causa aliqua subjecto alteri effectum aliquē tribuit; sicut Deus bonitatem suam communicat creaturis: sed est res verè ita existens ut verbis exprimitur, ut filius Dei natus est ex semine David secundum carnem.

III. Divisio.

XLIII. Hæc rursus est vel Prior vel Posterior. Prior rursus vel est Persona vel naturarum.

XLIV. Communicatio Persona est, qua λόγος assumendo humanam naturam, suam propriam divinam personam, cum assumpta humana natura communicavit, ut ea in illa revera suam subsistentiam obtineat.

κοινωνία Naturarum quid?

XLV. Κοινωνία naturarum verò in Persona Christi, talis est σωμαδιασις, qua unius naturæ concretum, non de abstracto, sed de concreto alterius naturæ verè prædicatur, ut Deus est homo, homo est Deus, filius Mariæ est filius Dei. Matth. 16, 16. Jer. 23. Luc. 1, 35. D. Hutt. in Coll. Theol. pag. 347.

Probatur I.

XLVI. Hanc communicationem tum Scripturæ testimonijs, tum rationum momentis evidentissimis probamus. Et I. quidem in Christo inhabitat omnis plenitudo divinitatis corporaliter (a) Duo Apostolus hic consideranda proponit, i. illud quod in Christo habitat, & hoc dicit Paulus esse πᾶν τὸ λήρωμα τῆς θεότητος. 2. Id in quo illud habitat, & de eo pronūciat, quod sit Christus, nō divina natura: aliās diceretur divinitas habitat in divinitate, ἄνωπον. E. humana natura erit, in qua plenitudo illa habitat. Ut sensus hic sit: omnis plenitudo divinitatis, in corpore ejus habitat, quia dicitur σωματικῶς, uti loquitur Hierony. (a) Col. 2, 9.

II. Rationibus.

1.

XLVII. Rationes sequentes in medium producimus. 1. quia unionem sine communicatione qui fingit, is se & alios seducit. Cur Nestorius damnationi fuit adjudicatus? nullam

lam ob causam aliam quam quod unionem se credere a-
jebat; communicationem verò interim negabat. 2. quia
Personæ τῆς λόγῃ facta est carnis Persona. E. etiam naturæ
ratio, quia natura divina & hypostasis realiter non diffe-
runt. 3. Humani generis redemptio plenaria talem in
Christo naturarum communicationem planè postula-
bat, secus redemptio nostra tantum esset verbalis, & irrita.

XLIX. *Predicationes* hæ, quæ inde oriuntur. 1. *non sunt Predicationes*
Identica: q. d. homo est homo, Deus est Deus. 2. *non essen-* *non sunt.*
tiales sive accidentales, quas Logici aliàs univocas & Pa-
ronymas seu denominativas vocant, ratio, quia unio nec
est essentialis nec accidentalis. E. & prædicatio. 3. *Sed*
sunt predicationes istæ singulariter personales, in omni natu-
ræ cursu inusitatissimæ, qua concretum unius naturæ de
concreto alterius naturæ verè dicitur. Ut Deus est ho-
mo, homo est Deus. *Hassenn. de Christo p. 276.*

XLIX. *Concretum vocamus,* quo tota Christi Persona
in naturis duabus consistens significatur, quod fit 1. una
voce, quando totam Christi Personam designant, ut
Christus, Messias, Salvator &c. 2. Periphrasi: ut λόγῳ
incarnatus, homo deificatus. 3. Quo non quidem tota
Christi Persona, sed natura exprimitur respectu tamen
concretionis considerata, ut caro mea, caro verbi.

L. *Abstractum* appellatur, quo natura quidem, non ve-
rò unionis respectu; sed in seipsa & ab unione (non re ipsa
tamen, verum mente tantum) abstracta, consideratur,
ut divinitas, humanitas.

LI. Ex hac declarata unionis, & naturarum κοινωνίας
ratione, *sequitur posterior,* quæ idiomatum communicati-
onem in Scholis Theologorum appellitare consueverunt,
quæ ratione quidem χρόνῳ cum unione simul est, ratione
verò φύσεως καὶ ταύξεως, ea posterior.

B 3

LII. Ex



LII. Circa Idiomatum autem communicationem, sunt considerata duo. 1. *Generaliter communicationis natura.* Ubi oritur quæstio 1. an detur Idiomatum communicatio, 2. Quid ea sit. II. *Specialiter ejusdem communicationis certi gradus & genera.*

I. *Est Idiomatum*
κοινωνία.

1.

2.

3.

LIII. I. *Esse communicationem Idiomatum* propriorum realem probamus 1. tali argumento. Modus prædicandi sequitur modum essendi, & dici, semper requirit inesse. at de divina & humana natura prædicatur, quomodo prædicatio illa est vera, si non *κοινωνία*? 2. Qualis est unio, talis est communicatio, atque unio non est verbalis, sed realis. Ergo.

LIV. 3. *Luculentissimè* illud evincunt propositiones de hoc mysterio magno, loquentes. Data est mihi omnis potestas in cælo & in terra. *Matth. 28, 28. Actor. 2, 36. Rom. 8, 32. Gal. 4, 4.* Hæc propositiones nemo nisi *ἄθεος* negabit, dicunt E. quod res, siquidem omnis vera enunciatio ait quod res est. Veræ autem esse minimè possunt, absque propriorum *κοινωνία*.

κοινωνία hæc non est.

1.

2.

3.

4.

5.

LV. Quæstionem, quod spectat *quid κοινωνία*, constituimus rursus eam non essentialem, sicut tres divinitatis Personæ majestatem divinam essentialiter communem habent; non verbalem, non *κατὰ μέθεξιν*, non Logicam ac Physicam, non *κοινωνίαν* proprii *κατὰ σύγχυσιν*, nec *ωροσωπικὴν* talem, qualis sanctis Dei hominibus intercedit cum Spiritu S. *Sed est ineffabilis, inscrutabilis, Personalis.*

Sed est Realis.

LVI. *Divinarum humanarumque proprietatum realis est vera participatio, quapropter unionē duarum naturarū in Christo hypostaticam, non tantū utriusque nature Idiomata Personæ, (quæ simul Deus & homo est) verum etiam, alterutrius naturæ propria, alteri, hoc est, λόγῳ, humana, & homin. assumpto, divina attribuuntur: & propter eandem κοινωνίαν una quæque natura operatur, cum communicatione al-
teriu*

terius, naturis tamen earumq; proprietatibus salvis & illæsis servatis.

LVII. Propria vel Idiomata hîc vocantur, non quod illa essentiam divinam ita consequantur, ut humanam humanam, sunt enim illa cum natura *ταυτο* & planè idem & *ὑπόστασις* ut & natura *τῆ λογῆ* & *ἰδιώματα* inter se convertuntur, quippè quæ realiter non differunt: sed quia in hunc modum, ab intellectu nostro, qui propter summam Essentiæ Dei majestatem apprehendere, imbecillitatem, impotens est; ita concipiuntur.

Idiomata divina non sunt essentialia.

LVIII. Fit verò hæc communicatio tribus modis. Dicitur n. à natura ad Personam, vel à natura ad naturam, vel profluit ab utraque natura conjunctim, & propriè communicatio appellatur operationum *ἐνεργειῶν ἀποτελεσμάτων*, tres erga gradus communicationis idiomatum sunt hic observandi.

Tria sunt communicationis Genera.

LIX. Primus gradus sive genus quod Veteres *ἰδιωοίαν* sive *ἰδιωοίαν* indigitarunt, est vera & realis *ἰδιωοίαν*, qua filius Dei, verum hominem in suæ hypostasis unitatem assumendo, simul omnia istius Idiomata adsumsit, sibiq; realiter appropriavit, unde de filio Dei dicuntur humana, & quæ unius naturæ sunt propria, alteri naturæ non seorsim: sed toti Personæ, quæ simul Deus & homo est, attribuuntur: ut Deus proprio suo sanguine Ecclesiam acquisivit. *Act. 20, 28.*

1. Genus quid.

LX. Primum hoc genus locutiones sequentes comprobant: ut quando dicitur: quod Dominus gloriæ sit crucifixus: (a) Autor vitæ interfectus (b) filius Dei semetipsum tradiderit, (c) quod Deus sit manifestatus in carne, (d) Verbum vitæ oculis conspectum manibus sit contrectatum (e) (a) *1. Cor. 2.* (b) *Act. 3, 15.* (c) *Gal. 2, 20.* (d) *1. Tim. 3, 16.* (e) *1. Ioan. 1, 1. Luc. 1, 35.*

LXI. Tria in hac definitione sunt observatu dignissima. i. est quod

Tria circa defini-
tionem hanc
observanda sunt.

quod hoc primum genus recipit locutiones tantum
concretivas: aliàs passiones, & infirmitates, ad divinam
naturam in abstracto reducerentur, quæ in se nec patitur,
nec moritur. 2. *Predicationem* reciprocam; Nam uti pro-
pria humanæ naturæ, juxta hoc genus de filio Dei pro-
nunciantur: sic rursus, propria divinæ naturæ, filio homi-
nis ex eodem stabilimento attribuuntur. ut: filius Dei sit
ex semine Davidis, & filius hominis fuit ante Abraham
Rom. 1.3. Ioan. 8.58.3. distinctionis adhibet notas. quæ particu-
læ distinctivæ non seperandi: sed distinguendi & mon-
strandi usum habent, nè illa, quæ Personæ toti tribuun-
tur, simul utriusq; naturæ propria statuatur: & cum pro-
prietatibus confundantur & naturarum σύγχυσις admit-
tatur. *Rom. 1.3.1. Tim. 1.16. Heb. 9.14.*

LXII. *Alterum communicationis istius idiomatum, genus,*
(quod Form. Concord. & illam imitantib. tertium est)
vocat Paulus ὑπερύψωσιν, βελτίωσιν (a) Leo provecionem,
Basil. μετὰ δόσιν; nonnulli glorificationem (b) alij commu-
nicationem majestatis & omnipotentiae (c) (a) *Phil. 2.9. (b)*
Athan. (c) ex cap. 17. Ioan. Luc. 22, 68. Heb. 1, 3. Apoc. 5, 12.

Alterum com-
municationis go-
nus μετὰ δόσιν
quid?

LXIII. *Est vera & realis μετὰ δόσιν, qua λόγος & carni suæ*
in Personæ suæ unitatem assumptæ, propriam suam glori-
am, excellentiam & majestatem, ita communicat, ut,
quæcunq; λόγος est & habet per essentiam, caro habeat per
unionis & communicationis Personalis gratiam, & per
eam virtutem suam exerceat, ut Matt. 28. data est mihi
omnis potestas in cælo & in terra.

LXIV. *Sunt autem hæc dona, non subjective Christi anime*
inherentia: sed tantum essentialia ἢ λόγου ἰδιώματα, juxta
antiquitatis piæ regulam: Quicquid filio Dei convenit per
naturam, id convenit filio hominis per gratiam.

LXV. *Differt hoc genus à primo, quod divina attributa*
prædicantur de Christo, non ut vindicentur tanquam pro-
pria

pria divinæ naturæ (id quod in primo genere fieri solet) sed intelliguntur donata Christo homini in tempore; propter unionem naturæ humanæ cum τῷ λόγῳ Personalem.

LXVI. Differentia hujus definitionis à fine est de prompta, asserens, filium Dei propterea assumisse naturam humanam, donisq; infinitis eam ornasse, ut per eam & cum ea, redemptionis opus perficere possit.

LXVII. Contra Calvinianos, veram & realem communicationem Idiomatum, modò demonstratam, pernegantes, & nudam tantum ἀλλοίωσιν naturarum defendentes, talem syllogismum extruimus. *In quocunq; tota plenitudo divinitatis habitat corporaliter; in eo etiam habitant Idioma divina; & verè ei hac ratione sunt communicata.* At in carne Christi tota habitat plenitudo divinitatis. E. Col. 1, 19. Col. 2, 9.

LXVIII. 2. Ulterius procedentes, sic colligimus. *Cuiuscunq; data est majestas aeterna, nomen super omne nomen, & qui exaltatus, sedet ad dextram Dei, illi communicata sunt increata, infinita & divina axiomata; At Christo secundum humanam naturam, talia sunt data.* E. Matth. 28. Dan. 9. Phil. 2, 9. Eph. 1, 20. Marc. 16. 19.

LXIX. *Objicis dationem istam persona respectu accipiendam esse? Respondemus Patrum sanctorum coronâ: dationem istam neq; ad utramq; neq; ad divinam naturam pertinere: sed ad humanam, juxta Regulam: Quacunq; Scriptura dicit in tempore data esse Christo, illa de Persona Christi intelligenda sunt, non secundum Deitatem, sed secundum assumptam humanitatem.* 3. Juxta quam naturam filius Dei se exinanivit, secundum eam, divinam majestatem & gloriam accipere potuit. At secundum humanam naturam sese exinanivit. E. Major luculentissimè probatur,

C

quia

Probatio.
μεταδιδοίμεν

lx

lxx

Majestatis
communicatio
obrigit carnem
Christi.

lxx

quia divina natura est immutabilis nec exinaniri, accipere & exaltari potest. Minor in confesso est ex *cap. 2. Philip. v. 8.*

Obiectio.

LXX. *Regerit Calvinianorum Schola, hac ratione omnia Idiomatica divina, carni Christi statuerentur communicata, æternitas, infinitas, spiritualitas.*

LXXI. Respondemus omnia *Idiomata divina carni esse communicata*, ratio, quia omnia sunt intra essentiam simplicissime unum & ἀδιαίρετόν ἢ permanent. Sed hoc cum discrimine: quædam ad extra progrediuntur, quædam verò non ad extra progrediuntur.

LXXII. Illa dicuntur communicata immediatè, hæc verò mediatè. *Illasunt septem*, de quibus postea, hæc verò sunt esse spiritum, æternum, infinitum. *Aeternitas communicata est carni mediatè*, quia caro accepit potentiam, scientiam, quæ est infinita, æterna. Magnus Theol. Hutterus in F. C. De Persona Christi m. p. 800. & 801.

Septem exprimit
Scriptura Idio-
matica divina
immediate carni
Christi commu-
nicata.

LXXIII. *Immediatè communicatorum, Scriptura exprimit septem*, quæ in & per carnem hanc suas ἐνεργείας exerunt.

- I. *Est omniscientia*, quam sic probamus, quia homo Christus, non opus habet, ut quis testimonium perhibeat de homine. Ipse n. sciebat, quid esset in homine *Iohan. 2, 25. c. 16, 30. c. 21. 17.*
- II. *Quia viderat Nathanaelem sub ficu: Asinam in stabulo eminus, quia secreta humani cordis cognovit Pharisaorum.*
- III. *Quia in iplo tota divinitatis plenitudo habitat. Iohan. 1, 48. Matth. 21, v. 18, c. 22. Col. 2, 9.*

LXXIV. *Altera hujus majestatis Christi carni communicata species est omnipræsentia*, quæ non est Physica, quæ esset distractio, extensio, & expansio geometrica, corporis Christi, juxta quatuor mundi partes: qualem crassam omnipræsentiam, Calvinianorum Schola nobis per calumniam affingit, quam nos planè execramur, & damnamus, confitentes: Christum jam in exaltationis statu,
corpus

corpus suæ essentiæ terminis circumscriptum & finitum
retinere, & nullo modo infinite extensum: *sed talis, quæ
finita Christi humana natura in λόγῳ* illocali, subsistens, &
ad dexteram Dei Patris confidens, supra omnem locum,
extrinsecus ambientem, elevata est, omnia loca, & quæ
in illis sunt, digitis suis quasi comprehendit, præsentissime
conservat, regit, gubernat & rebus omnibus præsens est,
modo ineffabili, imperscrutabili.

LXXV. *Christum igitur juxta utramque naturam divinam
sc: & humanam Ecclesie suæ adesse presentissime, omnibus*
temporibus ubiq; terrarum, probamus in genere primo,
quia ipse Christus dixerat, ubi duo aut tres congregati sunt
in nomine meo &c. *Matth. 18. 10. c. 28, 20. Eph. 1. 22. c. 4,
10. Marc. 16, 20. 2. tali argumento, secundum quam na-
turam Christo data est omnis potestas, secundum illam
quoque promisit nobis suam præsentiam: at secundum
humanam naturam Christo data est omnis potestas in
coelo & in terra. E.*

LXXVI. *Secundo quod Christus etiam secundum suam hu-
manam naturam omnibus creaturis adsit, probatū sequenti-*
bus damus dictis. 1. enim dicitur, quod dominaturus sit
in medio inimicorum suorum, quod à Mari ad mare re-
gnaturus. *Psal. 71. Psal. 110. 2. 2. Quicumq; est omnipotens,
ille etiam est omnipræsens, ratio, quia Dei propria, sunt
ipsa divinitas, παντοδυναμία* nil non est possibile: quod cir-
co quod omnia potest: poterit quoque ubiq; esse præsens:
si hoc non valuerit, non erit omnipotens, quod ἀδύνατον.

LXXVII. *Omnipræsentiam sequitur tertia species o-
mnipotentiæ Christi, quam 1. Scripturæ testimonijs. 2. ra-
tionibus pondere gravissimis demonstramus. Quoad sa-
cras paginas, patet illud ex Dan. 7, 14. Matth. 28, 18. Phil.
3, 31. Psalm. 8, 7. 1. Cor. 15, 27. Hebr. 2.*

C

2

78. Secundo

Christus secun-
dum utramq;
naturam Eccle-
siae suæ adest.

1.

2.

II. Generaliter
adest omnibus
creaturis.

III.

1.

2. LXXIX. *Secundo ex Psal. 8. sic concludimus. cuiusq; omnia sunt subiecta, ita ut in subiectione illa, quod subiectum non sit, nihil sit, ille est omnipotens, vel infinitam accepit potestatem: At Christo omnia secundum humanam naturam, quippe cui potuit datio accidere, tali modo subiecta sunt. E.*

Obiectio Bezae. LXXIX. Corruit ergo Bezae argumenti vanitas, oggamentis & distinguentis *inter ἐξουσίαν καὶ δύναμιν*, concedendo, omnem quidem potestatem, non autem omnem potentiam Christo in tempore esse datam: sed audiamus oracula divina scripturam seipsam explicātem: dicit Paulus: omnia subiecta esse pedibus Christi: sed *ὅτι πᾶσι πάντα* præcipuè ipsi datam esse potestatem (a) Apostolis fuit data potestas, juxta mensuram Regulæ, Angelis, dat Deus potentiam magnam *sed Christo data fuit, non magna, non multa, non latè patens tantum: sed omnis potestas* in cælo & in terra (b) data est ipsi potestas omnis carnis ut det eis vitam æternam (c) Potestas æterna (d) & quod hîc à Matt. dicitur omnis potestas, à Luc. *δύναμις τῆς θεῆς* appellatur (e) Regni eius non erit finis (f) (a) Eph. 1, 22. (b) 2. Cor. 10, 12. (c) Matth. 28. (d) Ioan. 7, 13, 14. (e) Luc. 22 (f) Luc. 1, 33.

17. LXXX. *Quarto carnem Christi post Unionem hypostaticam virtute vivificandi esse præditam asseverat, ipse Christus Ioan. 6. v. 5, inquit, ego sum panis vivus, qui de cælo descendit, si quis manducaverit ex hoc pane, vivet in æternum. Heb. 9, 14. 2. Quicquid ab inferis mortuos revocare potest, id est vivificum: sed caro Christi id efficit v. 54. c. 6. Ioan. E. 3. Christus carne sua in resuscitandis defunctis non solum verbo & imperio ut Deus utebatur, sed etiam suam carnem quasi cooperatricem semper adhibebat Luc. 7, Matth. 9. Ioan. 11.*

7. LXXXI. *Quinto quod Christus etiam secundum humanam naturam, potestatem remittendi peccata accepit.*
1. *expressè*

I. expressè illa ipsi attribuitur *Matth. 9, 6. Mar. 2, 11. Luc. 9, 24.*
Sanguis ipsius Domini nostri Jesu Christi effunditur pro
nobis in remissionem peccatorum *Matth. 26, 28, 2.* juxta
quam naturam Christus conterit caput serpentis, bene-
dictionem largitur omnibus terræ gentibus; secundam
illam etiam habet potestatem remittendi peccata, At
secundum humanam naturam Christus etiam conterit
caput serpentis, benedictionem largitur. *E. Gen. 3, 15, 22,*
18, 20, 4. Matth. 1, 17.

LXXXII. Quod potestas exercendi iudicij sexto carni
Christi etiam comunicata, testantur ipsius Christi effata
ad populum, dicentis, Filius hominis venturus est in glo-
ria patris sui, cum Angelis suis, & tunc reddet unicuique, se-
cundum opera sua, item filius hominis potestatem habet
iudicij *Matth. 16-27. Ioa. 5, 27. Act. 17.*

LXXXIII. Septimo ac Ultimo quod caro Christi propter
unionem hypostaticam fit etiam adorationis cultu prose-
quenda, jubet scriptura, adorent eum omnes sancti Ange-
li, agnus qui occisus est secundum carnem, dignus est ut
accipiat virtutem, honorem & divitias. *Psal. 67, 7, Heb. 1, 6.*
Apoc. 5, 12, 2. ab exemplo 1. Magorum ex oriente venienti-
um, Christum adorantium, 2. Discipulorum in navi: (b)
3. Syrophænisæ, 4. Leprosorum clamantium, Jesu misere-
re nostri. *Matth. 2, 6, 8, 15. Luc 17.* Satis de speciebus carni
Christi communicatis, sequuntur nunc diversi humani-
tatis Christi status.

LXXXIV. Duo verò carnis Christi sunt status 1. est ex in-
nitionis vel humiliationis, in quo Christus Salvator fuit a
primo conceptionis momento, usq; ad gloriosam suam
resurrectionem, hujus fundamentum habetur *Phil. 2, 6, 7.*
c. 4. Heb. v. 15. 1 Pet. 1, 11.

LXXXV. Ad hunc statum referuntur, septem hic actus.
1. admirandæ eius conceptio. 2. salutaris nativitas, 3. mile-

1.

2.

vi.

vii.

1.

2.

Duplex: Christi
humanitatis
status
1. τὸ ἐν ἑσ
ἰώσῃ τῷ θεῷ

C 3

ra

ra educatio. 4. familiaris ejus cum hominibus conversa-
tio 5. acerbissimi passionis cruciatus, 6. Mors. 7. sepul-
tura.

2. ὑπερψώ-
σεως.

LXXXVI. *Status exaltationis est alter qui partim glorifica-
tionis, partim exaltationis status est, quo Christus, seposita servi-
forma, jam communicata majestatis & gloria usu plenario uti-
tur, ut confideat ad dextram Dei, Dominum coeli & ter-
rae praesentissime administrat: (a) cujus tamen exaltatio-
nis majestas, non demum in Ascensione Christo obigit,
sed in primo statim conceptionis momento & puncto.*
(e) Act. 2, 36. Ioan. 1, 14.

LXXXVII. *Complectitur hic status actus quatuor. 1. Des-
censum Christi ad inferos. 2. resurrectionem ejus, 3. ascen-
sionem in Coelos. 4. sessionem ad dextram Dei patris. Huc-
usq; de gradibus κοινωνίας, sequitur gradus ἐνεργειῶν ὑποτε-*

Tertium com-
municationis
genus quid?
Christus est Me-
diator noster.

λεσμάτων
LXXXVIII. *Vocatur hoc tertium communicationis genus
κοινωνία ἢ κοινοποίησις κοινωνία ἐνεργειῶν ὑποτελεσμάτων & est
vera & realis naturalium proprietatum utriusq; naturae in Christo ἐ-
νεργειῶν κοινωνία, ad officij redētionis ὑποτελέσματα produ-
cendum, ubi Persona agit secundum utramq; naturam.
Atq; sic Christus secundum utramq; naturam est noster
Rex, Sacerdos, Mediator, Redemptor, caput & pastor ani-
marum nostrarum.*

LXXXIX. *1. Quod secundum divinam naturam sit, his-
ce probamus: Christus mortuus pro peccatis nostris I.
Cor. 15, 3. Gal. 1, 4. Eph. 5, 2. Heb. 2, 9. 2. Secundum ejus
naturam humanam, probant sequentia Scripturae effata
Gen. 3, 15. c. 12, 3. 18. Jer 23, 33. Matth. 9, 6. 1. Tim. 2. Satis de
communicatione Idiomatum, nunc de Christi officio.*

Officium Christi
est geminum.

XC. *Officium Christi quod attinet, duplex est illud sacerdotale
& Regium. I. Sacerdotale (cum quo propheticum inclu-
dimus) est, quo Christus nos secundum utramq; naturam
de voluntate patris & via ad aeternam salutem erudit, pro nobis
apud*

apud patrem perpetuo intercedit, seipsum pro totius mundi peccatis, perfectam hostiam semel obtulit, paratq; beneficia credentibus per fidem & Sacramenta applicat, *Psal. 110, 4. Heb. 4, 14. c. 5, 5. c. 6, 20. c. 7, 26. Dent. 18. v. 18. Matth. 17, 5. Esa. 61, 1. Ioan. 1, 18.*

C. Absolvebatur officium hocce in T. V. quatuor modis sive partibus 1. *munere docendi*, 2. *orandi* pro populo & intercedendi, 3. *sacrificandi* & 4. *benedicendi*, quæ 4. officia Sacerdoti in V. T. erant exequenda, hæc singula singulari studio etiam Christus est executus.

C I. De primo quod ipse immediatè est executus, legimus *Hoc Christus est executus & paratibus.*
*Dent. 18, 18. Esa. 61, Ioan. 1, 18. Matth. II, 6. Luc. 4, 18. Matth. 23, 19. Ioan. 3, 2. 2. Mediatè per Apostolos, Mar. 16. Ioan. 20. Luc. 10, 16. Act. 26, 18. de secundo habemus Luc. 13, 2. c. 23, 34. Ioan. 17, 20. Rom. 8, 33. Heb. 7, 25. c. 9, 1. Ioan. 2, 2. De tertio multis in locis testatur Scriptura Heb. 9, 12. 1. Pet. 2. 24. Heb. 10, 10. 1. Pet. 3, 18. 2. Pro omnibus peccatis omnium hominum etiam pereuntium 1. *Iohan. 2, 2. Rom. 5, 18. Rom. 14, 15. Heb. 10, 29.* De quarto sacerdotis munere habetur *Psal. 115. Gal. 3, 13. Gen. 22, 18. Gal. 3, 16. Eph. 1, 3.* hæc de primo. 1. 2. 3. 4.*

C II. *Officium Christi secundum nempe Regium est, quo Christus cælos conscendit, suscepta imperij administratione, sedens ad dextram patris, ut diaboli ac omnes potestates ad illius pedes projectæ obedire cogantur, donec nos in die novissimo, prorsus ab hoc pravo seculo, diabolo, morte, peccatis liberatos, separet, & æterna gloria coronet.* Hutt. in Comp. Theol. de officio Christi. II. Regium quid?

C III. Quod autem *Christus Rex sit*, probamus dictis sequentibus: *Ier. 23, 33. Zach. 9, 9. Psal. 2, 6. Psal. 110, 2. Mal. 2.* Secundo Magi ex oriente veniunt ad quærendum Regem Judæorum. 3. Ipse Christus se Regem esse confitetur. *Matth. 25, 40.*

C IV. *Regnum*

CIV. *Regnum* autem ejus non est politicum & mundanū sed spirituale *Ioan.* 18, 36. *Ioan.* 6, 15-2. *Cor.* 10, 4. 2. Qualis est. 1. Regis Persona, 2. officium, 3. thronus, 4. administrationis media, 5. effectus inde resultantes, Tale est etiam Regnū ipsum. Atq; cuncta hæc in Christo, non sunt mundana: sed spiritualia. E. Major sua luce lucet. Minor si necessum erit, sufficientissimè potest probari. 3. quia hoc Regnum est æternum *Dan.* 2, 44. *Luc.* 1, 33.

Beneficia quæ
ad subditos hu-
jus Regni redū-
dant.

CV. *Beneficia* hujus Regis spiritualis, quæ ad suos subdi-
tos (fideles nim:) redundant, sunt *quinque sequentia.* 1. Fides
Phil. 1, 29. 2. remissio peccatorum. *Matt.* 1, 21. *Ioan.* 1, 29. *Eph.* 1,
Rom. 4. 6. 3. Iustificatio seu Iustitia *Ier.* 23. *Rom.* 3, 23. 6, 18. 4.
24. 1 *Cor.* 1, 29. 4. Reconciliatio cum Deo *Rom.* 5, 1. 5. Salvatio
& glorificatio æterna. Hactenus de Persona Christi officij,
beneficijs, quorum causa Redemptor, Mediator & Sal-
vator nuncupatur, sequitur Antithesis.

ANTITHESIS.

Errores circa u-
nionem hypostar-
ticam.

1.

CVI. *Refutamus* ergo 1. circa unionem hypostaticam, naufragium veritatis facientes. 1. Marcionem, Manem. Apollinaristas, Anabaptistas, veram Christi humanitatem negantes.

2.

CVII. 2. Nestoriam, qui attestante synodo Ephesina, alium Dei alium hominis filium esse, & sic Deum & hominem, non unam Personam in Christo constituere, docuit. 3. Arrium Christum verum & naturalem Deum Patri coæternum, blasphemè negantem: Cui Neoterici Poloni & Transilyani correspondent. 4. Eutychen, naturarum confusionem & permixtionem in unam essentiã, statuetè

3.

CVIII. 5. *Χρισμάρχων* catervam Calvinianorum, filium Dei incarnatum esse respectu hypostaseos, à patre & spiritu S. distinctæ: non verò naturæ divinæ, asserentem. Itè Pezelium, dicentem, quod λόγος ita totus sit in carne, ut sit

fit etiam totus extra eam.

CIX. 6. *Bezam & Bellar.* dicentes: divinitatem, nihil cum humanitate, & vicissim, commune habere.

CX. 2. *Reijcimus* *Illoꝝ κακαδοξίαν*, qui communicationem naturarum & idiomatum negare audent, dicentes ex hypostatica unione non fluxisse communicationē naturarum realem; 2. qui statuunt κοινωσίαν naturarum & idiomatum esse tantum verbalem. 3. qui asseverant, Christum propter humanæ naturæ proprietatem, in pluribus simul locis esse non posse; nedum ubiq; tetrarum: sed λόγον esse extra naturam humanam, & sic Nestorianam hæresin propagant. II.

CXI. 3. *Circa Christi officium hallucinantur* 1. *Scholastici & Jesuitæ moderni*, qui Christum tantum secundum humanam naturam Mediatorem agnoscunt. 2. *Pontificij* Christum saltem pro peccato originali satisfacisse asserentes, pro culpa, pœnam tum sanctorum intercessione, tum nostris meritis auferendam nobis esse. III.

CXII. 3. *Calviniani*. 1. quia Christum non pro omnium hominum peccatis satisfacisse aut mortuum esse perhibent. 2. *Adiones θεανδρίκας* ideo utriq; communes esse, tū, quia una sit Persona has adiones producens: tum quia unum ἀποτέλεσμα & ἐνέργημα producant.

CXIII. 4. *Fugiendus est error Pontificiorum* missæ Pontificiæ, in qua Christum, pro peccatis vivorum, mortuorumq; quotidie offerunt.

CXIV. 5. *Errant graviter Iudæi*, Christum Regem mundanum fore, somniantes & adhuc ipsum expectantes. 6. *Anabaptista* partim mundanum Christi in his terris Regnum futurum; partim Ecclesiam ex solis pijs colligendam esse, statuentes. III

QUAESTIONES.

CXV. 1. *An Christus verum naturale habeat corpus, ex substantia Virginis Mariae assumptum: an tantum putativum, vel è caelo se-*

D

lo se-

losecum allatum. Respon. Ita quidem olim Marcionitæ & Manichæi statuebant, veritatem carnis Christi negantes & in locum carnis spectrum surrogantes, abutentes loco Rom. 8, 3. & λόγον non sumfisse carnem ex Maria virgine: sed ex semetipso habuisse, & carnem Mariæ maledictam pronunciavit Melchior Hoffman Anabaptista. Sed respondet pro nobis Tertul. l. 5. contra Marcion, similitudo ad titulum peccati pertinet, non ad substantiam mendacium. 2. Distinguendum inter similitudinem substantialem & accidentalem; si maximè titulus peccati abesset, loqueretur Apostolus, de similitudine substantiali, non autem accidentali & assumptiva forma. 3. Si Christus non verum & nobis ὁμοῶσιον corpus, ex Maria assumpsisset, non valuisset pati, mori & sic redemptio nostra esset phantastica, absit.

II. CXVII. II. *An Christus pro omnibus tam actualibus quàm originalibus peccatis, omnium hominum, etiam pereuntium sacrificium suum obtulerit?* Ad utramq; quæstionem affirmative respondemus. Quoad primam, Scripturæ dictis sequentibus confirmamus Iohan. 1, 20. Esa. 53, 4. I. Iohan. 1, 7. Tit. 2. 1. Cor. 6, v. 6. 2. Mors & satisfactio Christi efficacior est, quàm omnia hominum peccata. Rom. 5, 20.

CXVII. Pro secundæ quæstionis responsione faciunt hæc dicta. I. I. Iohan. 2, 2. Rom. 5, 18. Esa. 53. Rom. 8. 2. Cor. 5. Heb. 10. 29. Si Christus non pro omnibus hominibus satisfecit, quomodo dici posset Redemptor generis humani 1. Tim. 4, 10. c. 2. Matth. 1, 21.

III. CXIX. III. *An revera Christus & quando ad inferos descenderit. Primam quæstionis partem, quod spectat, maxima Calvin. pars, imprimis Dux illorum Beza, in Ca. 2. art. hunc de descensu cum priore de sepultura, articulum cōjugens, illam hujus ἐξήγησιν esse asseverat, verùm quod hoc merum sit figmentum probamus. 1. Scripturæ oraculis quia hoc non*

non obscure Messias in V. T. hoc prædixit *Hos. 13. 1. Cor. 15. Eph. 4. 10. 2. Symbolis. 1. Apostolorum. 2. Athan. 3. Nicæni. 3. Ecclesiæ Orthodoxæ antiquioris & Patrum consensu, Ambros. Basil. in Psal. 44.*

CXIX. *Quando illud factum antè ne vel post mortem Christi? Respondemus. Post mortem & sepulturam 1. patet hoc serie articulorum fidei, quæ descensum istum articulo sepulturæ, expressè postponit. 2. Autoritate orthodoxa Athan. in libr. de virgin. scribens: Christus descensu suo perfunctus est media nocte &c. In primo resurrectionis momento & quidè in illo ipso terræ motu; qui summo diluculo ante solis exortum, in ipsa resurrectionis die evenit; ubi Diabolis & omnibus impijs animabus vivum se præbuit. Excellent. Theol. Hutt. in F. C. in art. de descensu.*

CXX. *IV. Secundumne utramq; naturam ad inferos Christus se dimisit, & quid in inferno egit. novosne sustinuit cruciatus? Ad prius assertivè respondemus sequentibus nixi fundamentis. I Anologia omnium fidei nostræ Apostolicæ articulorum. I I. Autoritate Pauli Eph. 4. 10. III. Personalitè duarum naturarum in Christo Unione. IV. tripartito Christi Regno, super cælestes, terrestres & inferos. Phil. 2. 6.*

CXXI. *Ad posterius dicimus, idè descendit, ut omnia adimpleret Eph. 4. 2. Descendit ut & nos, qui debebamus in inferno captivi jacere, inde liberaret.*

CXXII. *V. An dextra Dei locus sit creatus in Cælo Empyreo, ad quem Christus secundum humanam naturam exaltatus, & usq; ad diem extremum non discedat, sicq; sua humanitate in terris non nobiscum sit? Respondemus 1. quod non sit locus creatus: sed ipsum Dei omnipotentis imperium, potestatem, dominum, loco nulli inclusum, & à nullo exclusum; & ad dextram Dei sedere, idem est, ac in consortiū ac usum plenariū gubernationis ac omnipotentis divinæ pervenire: Rationes hæ sunt, 1. quia scriptura nominat*

de Zicv

IV.

1.

2.

V.

δεξιάν τῆς δυνάμεως Ἰησ. Luc. 22. v. 69. infinitam potenti-
am. Matt. 26, 64. Heb. 1. 3. c. 8, 1. Psal. 118. 15. 2. quia inter locum
creatum & infinitam Dei dextram, est infinita differen-
tia. 3 quia Deus nec habet dextram nec sinistram, non est
corporeus.

CXXIII. 2. Non ita ascendit Christus in caelos sua huma-
nitate, ut ea non amplius jam sit nobiscum. 1. Quia sic ad-
scendit, ut nobis suam praesentiam, usq; ad finem fuerit
pollicitus Matt. 28, 21. 2. finem tantum imposuit suae visibili
ac terrenae conversationi inter homines Matt. 26 11. ascen-
dit ut omnia impleret. Ephes. 4, 10. Tu verò Trinitate
Deus, serva nos in veritate, servatos aeter-
na gloria & vita aeterna dona, per Fili-
um, ad dextram tuam seden-
tem, **A M E N,**



AB: 15067

ULB Halle
003 019 209

3



36.







DISPUTATIONUM THEOLOGICARUM DE PRÆCIPUIS FIDEI
CHRISTIANÆ ARTICULIS,
VII.
De
CHRISTI SALVATORIS
NOSTRI, PERSONA.
Quam
S. S. Trinitatis Auxilio
Sub Præsidio
VVOLFGANGI FRANZII,
S. S. Theologiæ Doctoris & Profefs.
in illustri VVittebergâ publici,
Collegis examinandam proponit
M. IOANNES MULLERUS,
Auffhausanus, Suevus.
In Templo arcis
Addiem 20. Novemb. horis
consuetis.
VVITBERGAE
Excusa Typis JOH. GORMANI, Anno 1611.

29

